DE RETICENTIA PECCATORUM

BRAHMS

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit.
Pl.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/reticentiabolunt0000unse

DE RETICENTIA PECCATORUM

EJUSDEM AUCTORIS :

1. **Un mot sur le Socialisme**. 2e édition. Tract populaire.
   L'exemplaire . . 0 fr. 05
   Le cent . . . . 3 fr. 50

2. **Het Socialisme veroordeeld en de Werkman gelukkig gemaakt.** 4e uitgave.
   Het exemplaar . 0 fr. 05
   Het honderd . . 3 fr. 50

3. **De Vrijmetselarij oorzaak van het Socialisme**. 2e uitgave.
   Het exemplaar . 0 fr. 05
   Het honderd . . 3 fr. 50

OPUSCULUM

DE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Reticentia Voluntaria Peccatorum

IN CONFESSIONE

Quod conscripsit **Ed. BRAHM**, Missionarius C. SS. R.

BRUXELLIS

SOCIETAS BELGICA LIBRARIAE

Osc. SCHEPENS & Soc., Editores

16, Via dicta Treurenberg, 16

—

1900

APPROBATIONES.

Fasciculum cui titulus : *Opusculum de reticentia voluntaria peccatorum in confessione*, quod conscripsit Ed. Brahm, Missionarius, C. SS. R., a duobus Congregationis nostrae Theologis quibus ejusdem examen commissum fuit, recognitum et approbatum, potestate nobis facta a R. nostro Patre Generali M. Raus, in publicam lucem edi permittimus.

J.-R. Van Aertselaer, C. SS. R.
Sup. Prov. Belgicae.

Bruxellis, festo Sacratissimi Cordis Jesu, 22 Juni 1900.

IMPRIMATUR.

Mechliniae, 10 Septembris 1900.
J. Thys, Can., lib. Cens.

Quae jura a lege sunt, auctor sibi reservat.

3252

ERRATA.

Pag. 29, linea I *legitur* manifes; tandinam *legatur* manifestandi; nam.

Pag. 40 *legitur* coetera *legatur* caetera.

Pag. 41, Nota (1) *legitur* Praxis 3 conf. *legatur* Praxis. conf.

Pag. 87 *legitur* cum alliis *legatur* cum aliis.

MONITUM AD LECTOREM

S. Alphonsus in quibusdam Operibus suis, v. g., in libro cui titulus : *Selva*, sive *selecta de dignitate et officiis sacerdotis*, ex diversis auctorum libris expositionem suam concinnavit.

Rev. Dominus Gaume, qui dictum librum gallice reddidit, inter alia haec in sua praefatione habet : « fere semper, sanctus auctor unice verba aliorum exscribit, et quid ex eis concludendum sit saepe lectori relinquit; argumenta non dilatat neque speciales interpretationes

proponit, ne, propria opinione allata, doctrinam catholicam infirmet. » (1)

In hoc exiguo opusculo, quod tibi, Reverende Lector, offero, vestigia pressi S. mei Patris, et tibi locos sanctorum et auctorum subjicio, ne, propria tantum adducta sententia, cadat auctoritas hujus scripti.

Scribebam Trudonopoli (Saint-Trond), in Belgio,
in Festo B. M. V. de Perpetuo Succursu, 17 Junii 1900.

(1) S. Alphonse. *Dignité et devoirs du prêtre.* Traduction du P. Dujardin. *Préface du traducteur, p. VII.*

Causa concessionis tituli doctoris S. Alphonsi. Responsio, n. 97 et 98.

De reticentia voluntaria peccatorum in confessione.

« Docet fides catholica : Sacramenta novae Legis non esse aut nuda tantum signa ad fidem excitandam, aut signa solum externa internae gratiae, aut meras notas quibus fideles ab infidelibus distinguantur; sed esse signa practica gratiae, quae scilicet gratiam contineant quam significant, eamque non ponentibus obicem ex opere operato semper conferant. » (1)

Quod ad Sacramentum Poenitentiae attinet, effectus ejus praecipui sunt sequentes : infusio gratiae sanctificantis, per se primae, aut ejus

(1) Herrmann C. SS. R. *Instit. theol. dogm. n. 1477.*

augmentum; remissio peccati mortalis, quod per gratiae infusionem formaliter expellitur : poenitentia enim directe ad peccatum destruendum ordinatur; remissio saltem partis poenae temporalis peccatis debitae; virtutum infusarum recuperatio; reviviscentia meritorum (1).

Hanc remissionem peccatorum christifideles consequuntur, « dum omnia, quae memoriae occurrunt, peccata confiteri student: qui vero secus faciunt, docet Trid., et scienter aliqua retinent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat aegrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat ». (2)

Sed proh dolor! Poenitentia, quae vocatur a Trid. (3) « secunda post naufragium tabula, » saepe fit mola asinaria qua demergitur in profundum abyssi christifidelis; permulti enim celant voluntarie peccata mortalia in confessione, scientes se confessionem sacrilegam et peccatum mortale committere.

Scopus meus intendit omnem operam et studium conferre, ut hoc luctuosum malum in

(1) Cfr. Herrmann, *n. 1806.*
(2) *Sess. 14, de Poen., Cap. 5.*
(3) *Sess. 14, Can. 2.*

toto christiano orbe extirpetur. Quamobrem in

Cap. I, existentiam sacrilegarum confessionum comprobabo; deinde in

Cap. II, causas earum indicabo; demum in

Cap. III, remedia huic lugendo malo explorabo.

CAPUT I.

Existentia sacrilegarum confessionum.

Factum sacrilegarum confessionum astruam testimoniis sanctorum et virorum apostolicorum e diversis nationibus, qui a saeculo XVI ad nostram usque aetatem vixerunt.

De S. Philippo Nerio, *Italo*, (1500), scribentes Bollandistae haec narrant :

« Juvenis quidam Mutius, beati Patris consilia se secuturum decernens, eidem peccata sua confiteri coepit, anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, mense Octobri; sed, ut inconstantes sunt mortalium animi, non multo post rediit ad eam dementiam qua videbatur liberatus. In impudicitiam enim, anno insequenti, Februario mense ineunte,

lapsus, vulnus medico aperire erubescebat; aliisque delictis confessione patefactis, hoc unum silentio praeteribat. Id autem ut divinitus beatus Pater praesentit, juvenem monet, ut integram faciat peccatorum confessionem, daemonemque confundat. Sed cum clausas ille haberet aures ad voces cohortantis, in eoque perseveraret quod delictum aperire nollet, subjecit illico Philippus : Tu non omnia mihi delicta narras, quod faciens maximo te astringis scelere; quaeque ille crimina perpetrarat, omnia ad unum aperuit : Haec et haec delicta, dicens, sponte prae verecundia silentio involvisti. Vix ejus flagitia enarraverat, quae praeter Mutium sciebat nemo, cum juvenis, stupore simul ac verecundia commotus delictum confitetur, confessionemque omnium a pueritia peccatorum repetit, multasque profundit lacrymas poenitentiae testes; is demum in patriam reversus, viam qua itur ad Christum sequi non destitit.

Illud praeterea permultis saepissime contigit, ut vix confitendi studio ad beati Patris genua procubuerint, cum is confestim quae quisque delicta commiserit, quas tentationes sustinuerit, in quasve cogitationes inciderit, apertissime

indicaret, quae res maximam illis admirationem movebat. » (1)

Abelly, in *Vie de saint Vincent de Paul*, narrat quomodo Apostolus ille charitatis inductus fuerit ad Societatem Sacerdotum Missionis praecise in hunc finem fundandam, ut sacrilegis confessionibus mederi posset.

Initio anni 1617, vocatus fuit Sanctus apud rusticum qui periculose decumbebat, et opem hominis Dei implorabat, ut in pace obdormisceret. Omnium judicio, rusticus homo bona fama sua dignus erat; coram Deo autem oneratus erat, a longo tempore, confessionibus sacrilegis. Vincentius accedit, vulnus aegroti cum consueta prudentia et mansuetudine explorat, et ubi infirmam animi partem cognovit, poenitenti generalem confessionem proponit. Ille vero libenter propositum recipit, et simul a malo et ejus causa liberatus, a peccato scilicet et luctuoso illud confitendi pudore, per tres superstites dies non destitit publicam confessionem facere. Quadam die, coram pluribus civibus hujus oppidi allocutus est Dominam Comitissam de Joigny, exclamans : « Ah,

(1) *Acta Sanctorum, 26 maji, p. 488.*

Domina, damnatus essem, nisi confessionem generalem instituissem, ob pluria gravia peccata quae nunquam confiteri ausus eram. »

Idem auctor refert Sanctum dicere solitum : « Verecundia plures ex his rusticis impedit quominus peccata sua parochis suis confiteantur, et ita in statu damnationis detinentur. » (1)

P. Lejeune (1600), ex Oratorio, qui per 50 fere annos in *Gallia* Evangelium praedicavit, haec scribit : « Si omne studium vestrum in parochianos conferre vultis, interdum confessarios extraordinarios accersere non omittatis; etenim experientia nos docuit permultos ex parochianis qui turpe aliquod peccatum commiserunt, illud prae verecundia nunquam sacerdotibus paroeciae confiteri. » (2)

Ven. P. Paulus Segneri S. J., *Italus*, famam missionarii assecutus saeculo XVII, scribit : « Verissimum est, quod Seraphica Virgo Theresia dicere fuit solita et deplorare, infernum per sacrilegas confessiones impleri; ob quam causam, concionatorem quempiam per litteras

(1) ABELLY. *Vie de Saint Vincent de Paul. L. I, ch. 9.*

(2) LEJEUNE. *Le Missionnaire de l'Oratoire.* Tom. I, p. 17. *Avis aux jeunes curés.*

hortata est his verbis : *pater, frequenter verba fac et invehere in confessiones vitiosas, non enim diabolus alio laqueo plures ad sempiternum exitium pertrahit animas, quam isto.* Qua prudentissimae hujus Virginis sententia, ut verum fateor, longo tempore non parum haesi attonitus. Verum, postquam in diversis missionibus versatus sum, varios inter atque multiplicis generis homines, perspicue didici nihil supra verum Sanctam istam exagerasse. » (1)

Alibi idem missionarius dicit : « Quam multi damnantur qui prae timore peccata sua non sunt confessi. Admiserunt in juvenili aetate peccata turpia, et animum non habuerunt ut ea sacerdoti aperirent. Sic aetate usque ad senectutem procedunt dicentes : posterius omnia patefaciam. Et, sicut mali debitores qui magis magisque aere alieno premuntur, quin unquam illud dissolvant, ita illi ignavi conscientiam magis magisque peccatis onerant, senectutemque attingunt, quin ullam sinceram confessionem instituant.

Homines cognovi, scribit, qui peregrinationem obierunt ad sanctuaria S. Francisci et

(1) Segneri S. J. *Instructio poenitentis. Introductio.*

Lauretanum, ut confiterentur apud confessarios ignotos; in lingua ipsa prompta jam habebant celata delicta, ast ore non egrediebantur. Quidam cum morte jam luctabantur, et etiam in hac hora suprema animus eis defecit ad confitenda peccata. » (1)

P. Brydaine, celeber missionarius in *Gallia* saeculo XVIII, dixit confratribus suis : « Experientia nos docuit plerosque christianos damnari propter vitia essentialia confessionum quas per annum peragunt. » (2)

B. Gerardus, ut legitur in ejus vita, pluribus peccatoribus, quae celaverant peccata, manifestavit.

Miser quidam victus fuerat falsa verecundia quae tot animas ad infernum perducit. Sacrilega confessione facta, in eo erat ut peccatum multo enormius committeret, accedendo scilicet ad sacram Synaxim cum illis qui recessus fuerant participes. Jam omnes in ecclesia erant congregati; jam Missa incepta erat per quam sacra Communio distribueretur. B. Gerardus, a Deo illuminatus, videt quae in anima

(1) *Instruction sur la conf., n. 5.* Œuvres posthumes.
(2) *Vie du Père Brydaine*, par l'abbé CARRON. *2e partie, p. 175.*

illius miseri aguntur. Statim eum adit, eumque ex ecclesia educens, ostendit enormitatem peccati in corde ejus jam commissi. Verbis B. Fratris commotus, et contritione sincera ductus, ad genua alicujus missionarii procumbit, et, confessione integerrime facta, plenam e daemone refert victoriam. Deinde, gratias agens divinae Misericordiae, quae ipsum per B. Fratrem salvaverat, in ecclesiam redit, ubi adhuc erant qui recessus socii fuerant, altaque voce eis dicit : « Puduit me peccata confiteri; sed B. Gerardus illa mihi revelavit, illaque coram vobis volo confiteri, ut poenas falsae verecundiae a me repetam. » Et sane illud fecisset, adjicit Tannoia, nisi a patre quodam adstante fuisset praepeditus (1).

S. Leonardus a Porto Mauritio, (1700), per 40 annos ministerio apostolico sese dedit in *Italia*; quem magistrum audiamus.

« Quoties, exclamat, mihi ad pedes sese abjecerunt poenitentes qui bis, ter, vitae periculum subierunt, et nihilominus in hoc aperto damna-

(1) *Vie du Bienheureux Gérard par un Père Rédemptoriste*, traduite de l'italien, chap. IX. — Vide alia exempla, cap. 17 et 25, sive pp. 124, 240, 241, 410.

tionis discrimine omnia peccata confiteri verecundabantur!

Alii, qui peregrinationem susceperunt ad sanctuaria Lauretanum et Romanum, ut onus criminum deponerent, illuc advenientes ita erant fracti animo, ut delicta sua celarent, et domum novo horrendo peccato gravati remearent.

Mihi quoque in initio videbatur tantum mulieres, puellas, puerosque verecundia vinci; ast experientia contrarium me docuit. In multis missionibus inveni numerum virorum qui voluntarie delicta abscondunt, valde numerum talium mulierum superare. Unde conclusi hanc materiam esse maximi momenti, et frequenter concionatoribus de ea loquendum esse. Ergo metu terrendi sunt qui non sincere confitentur : quamobrem quavis die narranda est acerrime commovens historia eorum qui miserabiliter propter sacrilegas confessiones damnati sunt. » (1)

Jorio, a Taunoia appellatus doctus missionarius et magnus servus Dei, scribit : « Timeat semper confessarius ne poenitens verecundetur,

(1) *Instructions pour les missions*, traduites de l'italien par Mgr Labis. *Première instruction de la confession*, p. 124.

quia in missionibus discitur *magnam* partem populi confessiones sacrilegas facere. » (1) Et alibi : « Hoc sciunt tantum illi confessarii qui diligentes sunt in indagatione peccatorum, et in usu subtilissimarum industriarum, eo scopo ut poenitentes peccata evomant. » (2)

Benedictus XIV haec scribere non dubitavit : « ... Cui (confessario ordinario), si aliquando prae pudore, vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant (Moniales), atque ideo confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere conjiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quae in Apostolicae Poenitentiariae Officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti, plurium annorum spatio, munus Doctoris in Decretis in eodem officio sustinuimus; tum etiam ex iis, quae in Episcopalis Anconitanae primum, deinde in Metropolitanae Bononiensis Ecclesiae regimine, frequenti usu cognovimus; tum demum ex his, quae saepius ad Nos in Petri

(1) *Catechista di villa, p. 419.*
(2) *Parroco di villa.*

Cathedra octavum jam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum hujusmodi Monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subjicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui nobis earumdem Monialium in suis Dioecesibus existentium calamitates, ex praeallegata causa ortas, aut viva voce, aut per Litteras non semel repraesentarunt, ac super ea re Apostolicae providentiae opem postularunt. » (1)

S. Alphonsus, qui per fere 40 annos in missionibus versatus est, haec habet : « Hoc magnum malum confessionum sacrilegarum frequentius est in parvis locis; repugnantia enim aperiendi conscientiam confessariis notis, poenitentes impellit ad reticenda peccata et ad committenda sacrilegia per totam vitam, ita ut saepe etiam inveniantur, qui huic maledicto rubori subjecti, ultima sacramenta recipiant quin omnia delicta sua declarent.

Qui experientiam habent missionum, sciunt

(1) Bulla *Pastoralis curae*, 26 Aug. 1748. Super designatione conf. extraord. pro monialibus.

magnum numerum animarum hac verecundia in infernum dejici. » (1)

Speciatim quod ad Moniales spectat, scribit S. Doctor : « Tentatio frequentissima et perniciosissima quam subeunt ordinarie Moniales, est illa tacendi peccata in confessione. Si casus in culpam gravem incidendi illis accidit, diabolus os earum oppilat, in animum inducendo verecundiam quam subiturae sunt peccatum confitendo. Heu! quot Moniales, propter hanc maledictam erubescentiam, nunc in inferno, et quidem in profundo inferni excruciantur! Ita evenit, quia Moniales quae timore aestimationem hominum amittendi moventur, facile per menses et annos confessiones et communiones sacrilegas perpetrare non verentur. » (2)

S. Joannes de Rossi, missionarius campi romani, qui vixit saeculo elapso, in omnibus sermonibus suis modum inveniebat tractandi de confessionibus sacrilegis, solebatque sacerdotes ad idem faciendum exhortari, dicendo : « Hoc debet esse sal quo condiatur quaelibet concio nostra. » (3)

(1) *Œuvres ascétiques.* Traduction du P. Dujardin. Vol. 16. *La Prédication,* pp. 73 et 330.

(2) *Véritable Epouse, t. II, chap. XVIII, § 1er.*

(3) Apud Camele. *Opusc. de reticentia peccatorum (1897). p. 6.*

S. Benedictus Labre, (1700), exclamare solebat : « Heu, quot animae in aeternum barathrum dejectae propter contemptum sacramentalis confessionis, vel propter confessiones malas et sacrilegas! Illuc dense, sicut flocci nivis in hieme, dilabuntur. » (1)

R. P. Mach S. J., sanctus et celeber missionarius in *Hispania*, fugae se dedit sub persecutione anni 1834. In Gallia fuga salutem petivit, et post professionem solemnem suam. Superiores eum Nivellam, in Belgio, miserunt, ubi aliqui ex Hispania Patres S. J. in communitatem convenerant. R. P. Mach linguam gallicam callebat. Jam tum sacrum ministerium per missiones et conciones exercere potuit. Clarum nomen apud Belgas adeptus est, sicut postea in Hispania, ubi in omnibus fere provinciis missiones tradidit. Zelo animarum ductus, plures composuit libros, inter quos : *Le Trèsor du Prêtre* (Thesaurus Sacerdotum). Ibi haec scribit : « S. Theresia uni ex nostris dicebat : pater mi, saepe praedica de confessionibus sacrilegis; nam Deus mihi revelavit maximam partem

(1) Schouppe. *Instructions religieuses en exemples, t. III, p. 279.*

christianorum damnari propter confessiones male peractas...

Heu! quot animae quae peccata celant, vel quae negant se tale peccatum mortale commisisse, praesertim in locis ubi non adest confessarius ignotus, et ubi sacerdotes qui confessiones audiunt, aegre ferunt quod poenitentes eos relinquunt, ut apud collegam confessionem instituant! Si quidem, ubi hoc offendiculum non existit, sinceritas multi sudoris est pro quibusdam personis, quid eveniet, quaeso, in locis ubi vilis zelotypia reperitur.

Paucas missiones tradidi in quibus non inveni per decem confessiones, quinque, sex, septem, et quandoque octo aut novem confessiones generales necessarie faciendas.

En, Venerabiles Confessarii, quantam libertatem concedere deberemus poenitentibus, ut semper confessarium suum eligere valeant et audeant.

Intelligant quidem parochi se sollicitos esse debere, ut quovis quinquennio missionem parochianis suis procurent, et saluti ovium sibi commissarum consulant accersendo infra annum extraneum confessarium, qui animum populi revocet ab exitioso malo peccati in confessione occultati.

In poenitentes incidi qui ter, quater, quinquies ultima receperant sacramenta, et persuasum illis erat mortem et damnationem jam imminere; attamen in hoc supremo momento eis animus deficiebat ad omnia peccata aperienda.

Ter juvenis quidam me ad confitendum adiit. Prima die, in hunc finem 4 horarum, alia vero die, 10 horarum iter pedibus instituit, et qualibet vice novum mihi declaravit peccatum, quod prae confusione absconderat. Omnibus viribus laboravi, ut aperiret mihi cor suum. Et videbatur mihi confidere: nam, cum apud plures confessarios et missionarios confessionem instituere valeret, tantis cum incommodis me adiit: insuper sat forti animo erat ut illacrymans diceret sese mihi denuo fucum fecisse. Nihilominus usque adeo occupavit animum suum verecundia, ut tribus vicibus continuis mihi celaret peccata. Deus solus scit, utrum me quater fefellerit necne. Non mirandum, charissimi lectores, si vos hujus rei participes facio : ex una parte existimo salutem animarum hoc expostulare; ex altera vero, pauci majorem quam ego habebunt libertatem haec sine ullo violationis sigilli sacramentalis periculo mani-

fes; tandinam mihi prospera fortuna contigit sacrum ministerium exercendi in quinque regnis et in plus quam 1200 paroeciis. » (1)

Monnin, qui fuit testis oculatus atque auritus vitae Venerabilis Vianney, et hujus arcanis admissus, scribit haec : « Certa scientia scimus sanctum parochum multis significasse illos peccata in confessione celare. Jamvero, si poenitentes Venerabilis Vianney ei imponere tentarunt, nonne creduli atque simplices essent qui se nunquam a poenitentibus falli existimarent. » (2)

Trucchi, episcopus Foroliviensis, scribit, (1859) : « Multi dantur poenitentes qui in confessione, timore atque erubescentia superantur. » (3)

Heilig, C. SS. R., *Wurtembergius*, sequentia habet : « Haec itaque obligatio (sc. docendi tyrones methodum practicam audiendi confessiones, sicut milites qui ad pugnam non mittuntur, nisi post multas exercitationes practicas) addubitari nequaquam potest, praesertim cum

(1) Mach. S. J. *Le trésor du prêtre, p. XIV, et 2e partie L., 13, chap. 6.*

(2) Zelle. *La confession d'après les grands maitres. Chap. 4.*

(3) *Meth. pract. adm. Sacr. Poen.*

frequentissima sit necessitas confessiones nullas aut sacrilegas reparandi. Sunt quidem innumerabiles presbyteri, etiam parochi, qui hanc necessitatem ignorare, imo negare videantur; ast praecipue sacrarum missionum tempore ea manifesta fit, ita ut missionarii persuasum sibi habeant, in fere universis paroeciis generatim *unam tertiam hominum partem ex solo rubore* sacrilege confiteri, peccata celando. » (1)

R. P. Aertnys, *Hollandus,* haec habet : « Quid observandum cum illis qui peccata sua reticent? Ante omnia, ne credat confessarius casum rarum esse quod poenitentes peccata sua ex rubore reticeant, aut eorumdem numerum diminuant, sicque confessiones sacrilegas peragant : casus iste nimis frequens est. » (2)

Zelle, S. J. missionarius, et olim professor Theologiae, librum scripsit aureum unice de confessionibus sacrilegis tractantem, cujus 2ª editio exiit anno 1893. Huic libro titulus inscribitur sequens : *La Confession d'après les grands maîtres* (confessio juxta doctissimos magistros). Introductio operis haec est : « Sa-

(1) *Methodus confessiones gener. excipiendi.*
(2) *Theol. pastoralis. Editio 3a, n. 31.*

cerdos juvenis, professor in quadam Facultate Theologiae, cum missionario qui in laboribus apostolicis senuerat, verbum faciebat. Duo illi viri, aetate et vitae statu dispares, ejusdem rei studio tenebantur : amoris scilicet animarum Sanguine Jesu Christi redemptarum. Prior desiderio aestuabat se saluti proximi devovendi, sed experientia, multorum mater bonorum, usque ad illud tempus illi defecit. Alter e contra gubernii conscientiarum scientiam practicam, et occultissima « Artis Artium » secreta penitus tenebat. Visne, rogavit senex, ut tibi medium revelem quo innumeras animas ab inferno liberare valeas. — Utique, dic, quaeso. — Primum, charissime, tibi in animum inducas permultos poenitentes in confessionibus ordinariis peccata sua silentio premere. — Pater mi, num fidem verbis tuis adhibere possum? Numquam enim in Theologorum et Moralistarum libris talia legi, vel a magistris meis, doctissimis quidem, audivi. — Amice, noli propter haec obstupescere; etenim Theologi et Moralistae non plenissime hanc materiam tractarunt, quae est dominii experientiae potius quam speculationis. Jam vero controversia nulla esse potest de facto,

quod maximi Sanctorum in scriptis suis attestati sunt; quod celebres missionarii clare affirmarunt, quibus omnibus me adjungere audeo et debeo, postquam triginta millia confessionum generalium audivi. » (1)

Sacerdos juvenis ipse P. Zelle erat, et postea experimento didicit quod tunc nondum intelligebat. Quae quidem experientia illum impulit ad componendum librum ex quo hanc introductionem excerpsi. Ibi auctor unice tractat de confessionibus sacrilegis, et existentiam hujus mali multorum auctorum testimoniis probat.

D. Bosco scribit in epistola quae invenitur initio editionis italicae operis P. Zelle : « Tu hoc dicis mihi qui in tota Italia praedicavi, et *fere nihil aliud inveni.* »

R. D. Camele, Canonicus Romanus, scribit : « Per annos fere triginta exercens ministerium in variis locis, et cum omnibus classibus poenitentium, reperi non paucos esse qui sacrilege confitentur ob reticentiam voluntariam peccatorum. » (2)

Magister quidam S. Theologiae, vir doctissi-

(1) Zelle. Opus cit. *Introductio.*
(2) Camele. Opus. cit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

mus et versatissimus in hisce quaestionibus, scribebat : « A multis annis studio theoretico et practico circa illud lugendum malum incumbo : confessiones audivi in septem regionibus, consului multos auctores et multos viros conspicuos variarum regionum, investigavi mentem et praxim multorum sacerdotum circa rem, et conclusiones meae sese habent : innumerabiles sunt poenitentes qui voluntarie peccata celant, et ob hanc causam permulti damnantur. » (1)

Liceat hic meum quantulumcumque experimentum subnectere.

Abhinc plus quam viginti annis ministerio apostolico incumbo, et experientia me docuit permultos esse, praesertim ruri, qui confessiones sacrilegas per 5, 10, 20, 50 annos peragunt.

Peccata graviora, v. g., incendia, injustitiae, fornicationes, bestialitates facilius celantur. Misera experientia me certiorem fecit hominem peccata quavis sua aetate reticere : in adolescentia, in aetate adulta, in senectute. Alii missionarii mihi affirmarunt sese idem esse expertos.

(1) Apud Camele, *p. 2.*

Plures viros quam mulieres celavisse peccata sua in multis missionibus expertus sum : silentio praetereunt bestialitates, incendium, etc.

In renovationibus missionum quosdam reperi, qui ipsis missionariis delicta celaverant (1).

Aliquando inveni poenitentes qui etiam in articulo mortis, voluntarie silentio praetermiserant peccata.

(1) Cfr. cap. 3, allata de S. Alph.

CAPUT II.

Causae mali.

Postquam existentiam mali probavimus, causas ejus exploremus.

Causae se habent ex parte poenitentis et ex parte confessarii.

Ex parte poenitentis habetur 1° *negligentia orationis*. Fide tenemus peccatorem, ut convertatur ad Dominum, indigere gratia Dei, docente Trid. : « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » (1)

(1) *Sess. 6, can. 3.*

S. Alphonsus (1) autem cum omnibus Sanctis docet, Deum ordinarie hanc gratiam non conferre nisi orantibus cum debitis conditionibus. Jam vero, numquid omnes peccatores, qui ad sacrum Poenitentiae tribunal accedunt, hoc adjutorium Dei ut poeniteant, precibus implorant? Vel orant debitis cum conditionibus?

Multi eorum qui diversis onerantur peccatis et diu multumque vices suas exspectant ad confessionale, nullam, sicut oportet, precationem dicunt. Malitiam igitur peccati mortalis non intelligunt; non mutantur in poenitentiam : corde non compunguntur.

2° *Verecundia.* — « Verecundia, docet S. Thomas, est timor alicujus turpis, quod scilicet est exprobrabile (2) », hoc est, quod vituperationem concitat.

Non raro verecundia peccatores adducit ad confessionale : instat magnus dies festus, vel dies Adorationis, in quo omnes fideles ad sacram Synaxim accedere solent. Quid dicent parentes, fratres, sorores, vicini, si non confitentur? Quapropter ecclesiam adeunt, non ut

(1) *Du grand moyen de la prière, ch. 1 et ch. 3, § 3.*
(2) *2. 2. Q. 144. Art. 1.*

christianam vitam instaurent, sed ut vituperium hominum vitent.

Erubescentia celantur incendia, injustitiae, sacrilegia, numerus peccatorum ; speciatim fornicationes, bestialitates et aliae impuritates; nam « maxime verecundantur homines de actibus venereis », dicit S. Thomas (1).

Verecundia manifestandi peccata in confessione non est leve incommodum pro quolibet peccatore; dicit enim Trid. : « Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus, digne ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur (2). » Sed poenitenti oratione non praeparato, qui in statu peccati mortalis sacerdoti se sistit, et cujus cor non emendatum est, verecundia est vehemens tentatio. Si ergo confessarius eam aggravat, miser peccator in confessionali aliud peccatum admittet : sacrilegium scilicet.

Coram conjunctis nobis erubescimus magis

(1) *2. 2. Q. 151. Art. 4.*
(2) *Sess. 14, cap. 5.*

quam coram alienis et peregrinis, quia eorum testimonium apud nos majoris momenti habetur (1).

Quo magis ergo confessarius poenitentem novit, eo magis increscit verecundia in detegendis gravioribus.

Augetur autem haec verecundia pro ratione familiaritatis qua confessarius et poenitens conjuncti sunt.

Quo melior est de poenitente confessarii opinio, eo major est rubor poenitentis ad manifestanda peccata (2). Hinc si evenit personas devotas lethaliter peccasse, hoc quandoque per annos celant, sacrilegio sacrilegium cumulando. Quavis septimana confitentur, pluries in hebdomade communicant, et cessare non audent, ne forte reprehendantur.

Rubor et verecundia increscunt pro majore intelligentia malitiae peccati. Qui autem peccata non apprehendunt ut turpia, potius « laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. »(3) Puella vitae devotae addicta, si tantum

(1) Cfr. S. Th. *2. 2. Q. 144, art. 3.*
(2) Cfr. S. Th. *2. 2. Q. 144, a. 3.*
(3) *Prov. 2. 14.* — Cfr. Sylvius. *In D. Th. 2. 2. Q. 144, art. 3.*

semel mortaliter peccat, aliquando ita erubescit, ut diutissime hoc peccatum et sacrilegia reticeat.

« Homo magis verecundatur apud eos a quibus exspectat subsidium, vel quorum amicitiam servare, aut in quorum benevolentiam et amicitiam recipi cupit, quam apud illos quorum neque opem neque familiaritatem quaerit. Item timet eos qui nocere possunt et facile aliorum lapsus divulgant. » (1)

Causae ex parte confessarii enumerantur. 1° *defectus zeli.* Qui zelo animarum caret, molestiae et oneris tempus aestimat quod confessionibus excipiendis impendit, et non sine aperto interni taedii signo aures poenitentibus praebet.

2° *Duritia.* Confessarius auget verecundiam cujusvis peccatoris, si initio confessionis poenitentem gravissimis vel acerbis reprehendit verbis, uti, exempli gratia, si, audito uno alterove gravi peccato, dicit : *Es bestia; nonne talia facere vereris; jam damnatus es; non possum tibi absolutionem concedere; non debes deinceps apud me venire, quia te emendare non vis*, et

(1) Sylvius. *In D. Th. 2. 2. Q. 144, art. 3.*

similia. (1) Poenitentes autem initio confessionis ordinarie ea dicunt quae eis minus molesta sunt, ut crimina in finem confessionis reponant. (2) Si ergo confessarius poenitentem ferro invadit, sua agendi ratione poenitentem elinguem reddet, et ita animum ejus franget, ut coetera aperire nec audeat, nec valeat aerumnosus peccator. « Cavere debet confessarius, ait S. Alphonsus, ne acriter reprehendat poenitentem, dum ille confitetur, ne forte deterritus, alia peccata reticeat. » (3)

3° *Festinatio* in audiendis confessionibus non raro causa est confessionum sacrilegarum. Caveat ergo confessarius ne properandum esse dicat. Sunt confessarii qui confessiones properant ne, si tempus necessarium tribuant, derisui ab aliis confessariis habeantur.

Si pro omnibus poenitentibus celeritate utitur confessarius, tunc illi qui diu commorari deberent in confessionali ob multitudinem peccatorum suorum, facile celabunt peccata ut confessio citius absolvatur, et sic notam apud

(1) Berardi. *Praxis confessar.* n. 4707.
(2) Marc. *Instit. mor. n. 1805, sub 3°.*
(3) *L. 6, n. 607.*

circumstantes effugiant. Saepe sacerdos concionando de Sacramento Poenitentiae et de sinceritate et de integritate, longe et late exponit quid in confessione peccatorum requiritur, et in tribunali poenitentiae quandoque non relinquit tempus poenitenti, ut omnia dicat peccata quae conscientiam gravant.

Si accedit rusticus peccatis oneratus, dicit confessarius : « Festina, quia est mihi opera; » dum e contra cum nonnullis poenitentibus femineis frustra absumit tempus. (1)

4° *Zelotypia* inter diversos confessarios. Praecipue aliis illa bona homines invident quibus gloriam et honorem adipisci possunt (2), uti est munus confessiones excipiendi. Nisi ergo unice Dei gloriam bonumque animarum quaerat confessarius, et zelotypiam radicitus e corde extirpet, poenitentes impediet ne alium adeant; etenim si apud alium confessi sunt, ostendet hoc sibi non gratum esse; famam aliorum confessariorum verbis et factis minuere sataget; et extraneos confessarios vel missionarios non vocabit.

---

(1) Marc. *Instit. mor. n. 1805, sub. 3°*, S. Alph. *Praxis 3. conf. cap. 1, n. 3.*

(2) S. Thom. *2. 2. Q. 36. Art. 1.*

Memores simus verbi Apostoli : « *Non efficiamini inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* » (1)

Et ad Philippenses : « *Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur : et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* » (2)

5° Imprudentia. — Exitialis est consuetudo quorumdam confessariorum post singula peccata excusare poenitentem, dicendo : *Fuit tentatio; non voluntarie fecisti; accidit in somno (3).*

Reticentiae causa esse potest confessarius, si alta voce loquitur, si impatientiam manifestat, si admiratione se percelli ostendit de peccatis quae narrantur. Nihil tamen miretur confessarius; ne suspiret neve se contorqueat, sed immobilis ut statua maneat, vel si se moveat, hoc tantum ex charitate patris, qui filium prodigum amplectitur, faciat (4).

Item poenitens est in periculo tacendi peccata

---

(1) *Galat. 5. 26.*

(2) *Philip. 1. 18.*

(3) Berardi. *Praxis conf. n. 4707.*

(4) S. Alph. *Praxis conf. cap. 1, n. 4. — cap. 7, n. 101.* — Berardi. *Praxis conf. Editio 2a, n. 4707.* — Segneri. *Instr. conf. cap. 2.*

propter sigilli violationis timorem, si, v. g., confitetur apud confessarium qui habetur ut homo facile aliorum lapsus divulgans. « Exhibeat se sacerdos multa maturitate, ne verbosus aut loquax sit, ne propter hoc videatur ut suspectus in confessione; nec sedeat in conviviis in multitudine frequenter loquentium, ne aliquod verbum exeat ex ore suo quod noceat ipsi de revelatione confessionis. » (1)

Confessarii quidam imprudenter laudant poenitentem apud alios, qui dein ipsimet poenitenti rem referunt. Si iste poenitens postea grave peccatum committit, facile hoc reticebit, ne existimationem confessarii amittat.

Item prudentiam non sapit qui, antequam in missione confessiones audit, parochi ancillae aliisve servis insinuat sese illos maximi facere.

Poenitentes prope confessionale adstantes causa sunt cur confitens graviora, quae forsan audirentur, taceat.

6° *Rigor*. — Causa reticentiae est « timor, ut scribit Rev. Canonicus Camele, ne confessarius nimis rigidus sit in deneganda vel differenda absolutione, aut in imponendo obligationes

(1) S. Thom. *Opusc. LVIII De officio sacerdotis.*

dubias. Quidam confessarius quadam die dicebat : Reperi multas confessiones sacrilegas inter juvenes ex illo capite. Ex nimio rigore, ex ignorantia multa docentur esse peccata quae non sunt peccata, aut saltem non sunt mortalia; juvenes, praecipue sponsi de futuro, qui difficillime ea vitare possunt, ea celant ex pudore et ex timore prohibitionis confessarii et denegationis absolutionis. Consului aliquem auctorem qui mecum sentit. Confessarius igitur sit benignus et peccata non multiplicet ignorantia aut rigore. » Haec apud Camele.

Recolamus hic doctrinam Marc : « Ne ut mortale traducat confessarius id de quo inter DD. utrinque probabiliter disputatur, utrum tale sit. » (1)

Quot confessarii qui cum asperitate omnia media praescribunt ut poenitens sese emendet! Iste quidem promittit ad bonam frugem se recipiendum, et tamen ad propositum efficiendum illi deficiunt vires, quippe qui e confessionali exit peccatis pressus novis. Jam dudum enim peccata mortalia silentio premit, quae etiam hac vice confiteri erubuit, quia confessarius « non

1) Marc, *n. 1809.*

miscuit lenitatem cum severitate, neque fecit ex utraque temperamentum », ut dicit S. Gregorius Papa.

Causa reticentiae esse potest confessarius, si integritatem secundum omnes distinctiones theologicas, non secundum conscientiam poenitentis multas distinctiones ignorantis requirit, vel si minutissimas circumstantias explicatu non necessarias, neque utiles expiscatur. (1)

Talis confessarius non secum reputat attentionem suam praecipue versari debere circa sinceritatem poenitentis et actum contritionis, quae « *contritio*, ut Tridentinum dicit, *primum locum inter poenitentis actus habet.* » (2) Qui autem supradicto rigore angitur, exterret poenitentem, ita ut ad reliqua graviora dicenda vocem ei intercludat. Poenitens ergo peccat mortaliter, reticendo voluntarie grave peccatum. E contra recedit justificatus poenitens qui, « postquam diligentius se excusserit, ea peccata confitetur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit : reliqua autem

(1) Cfr. S. Alph., *Praxis conf., c. 1, n. 20.* Aertnys, *Theol. Mor., Editio 5a, L. 6, n. 277.* Genicot, *Theol. Mor., Editio 2a, vol. 2, n. 362, sub 2°.*

(2) *Sess. 14, cap. 4.*

peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa intelliguntur. » (1)

Timor ne confessarius poenitentias incongruas, quas jam antea injunxit, denuo imponat, subinde causa esse potest sacrilegae confessionis.

7° *Dissidentia* parochi et populi, et verborum aculei in cathedra, causa sunt cur poenitens reticeat peccata.

8° *Praxis dandi eleemosynam in confessionali.* S. Joannes de Rossi, missionarius romanus, numquam in confessionali pauperibus aliquam eleemosynam erogabat. Petitoribus respondere solebat : « In confessionali solum absolutionem peccatorum quaerere debetis : non ibi roganda et recipienda est eleemosyna materialis. Postea vos iterum videbo. » (2)

(1) Trid. *Sess. 14, cap. 5.*
(2) Mougeat. *Vie de S. Jean de Rossi. p. 190.*

CAPUT III.

Quomodo malo occurrendum sit.

1. *Potissimum remedium est fervida oratio poenitentis.*

De fide est, ut vidimus, cap. 2°, eum qui in statu peccati mortalis versatur, ex eo surgere non posse sine gratia Dei. Jam vero, docente S. Alphonso cum omnibus sanctis, haec gratia ordinarie non nisi orantibus datur. Item praecepta difficiliora sine oratione observare non possumus, ut eruitur ex Trid. : « *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis* (1). » Atqui praeceptum confessionis peccatorum, et signanter turpium, est

(1) *Sess. 6, cap. 11.*

difficile. Ergo oratio est omnino necessaria peccatoribus, ut sinceram atque salutiferam instituant confessionem. Inculcanda est igitur haec necessitas, et e suggestu, et in confessionali.

2° *Ut falsam verecundiam superet, poenitens considerare debet quae sequuntur :* Sacrilega confessio morsus conscientiae auget; non debemus ruborem concipere ex confessione peccatorum quorum nos non puduit dum ea commisimus; peccata nostra Deo ipsi aperimus, cujus locum tenet sacerdos, qui nunquam ea peccata revelabit; si mors nos in hoc misero statu deprehenderet, reticentia peccatorum nos in die judicii, et coram mundo universo, maximo rubore afficeret, atque ad perpetuum inferni ignem damnaret; confessarius peccatorem cum maxima charitate et commiseratione recipiet, eumque adjuvabit ut pacem cordis recuperet(1).

. Ex parte confessarii varia sunt remedia.

1. *Propria sanctificatio.* Ante omnia, ut animas lucretur Domino, dicit S. Alphonsus, debet sacerdos propriae sanctificationi incumbere. Sacerdos est mediator inter Deum et

1) *Mechelsche catechismus, 34e les.*

homines, sed ad mediatoris officium proprie pertinet eos conjungere inter quos est mediator; sed cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animum ad deteriora provocat. Sancti, addit S. Alphonsus, animarum conversionem operati sunt efficacius orando quam laborando. (1)

Generatim coram sanctis, ac iis qui ut tales habentur, minorem in peccatis confitendis difficultatem sentiunt poenitentes, quia sibi perspicuum est tales confessarios optime cor hominis cognoscere, ejusque infirmitati indulgere.

2° *Zelus animarum.* — « Zelus, docet S. Thomas, quocumque modo sumatur, ex intensione amoris provenit. Aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea quae sunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur, secundum illud : *Zelatus sum pro Domino exercituum.* Et : *Zelus domus tuae comedit me.* » (2)

Quanto magis confessarius amore Dei inflammatur, eo magis Dei gloriae et peccatorum conversionis studio incensus erit : charitate

(1) *Le Prêtre. Chap. 9. IV. 2.*
(2) *1. 2. Q. 28, art. 4.*

plenum, benignitate superefffluentem, zelo flagrantem se praebebit. « Dum poenitens confitetur, inquit S. Thomas, sacerdos se exhibeat benevolum et affabilem et humanum, ut poenitens non impediatur in confessione sua ex austeritate sacerdotis » (1).

Amor autem proximi qui ardet in corde confessarii efficiet, ut oret ad rite officium suum explendum.

« Sacerdos, dicit Rituale Romanum, priusquam ad confessionem audiendam accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit. »

Insuper qui serio animarum zelo animatur, sequentia non parvi-pendet.

Non raro poenitens prope confessionale manibus faciem tegit, ne confessarius eum agnoscat : sit ergo regula confessario ut ad confessionale accedat, quin poenitentes aspiciat. Item generatim poenitentem in confessionali non aspiciat, sed sudario oculos et faciem cooperiat. (2) « Caveat autem sacerdos, inquit Doctor

(1) *Opusc. LVIII. De officio sacerdotis.*
(2) S. Alph. *Praxis conf. cap. 8. n. 119.*

Angelicus, ne dum audit confessionem mulierum, respiciat vultum earum, nec advertat qualitatem membrorum : propter quod bonum est et congruum, ut mulier teneat in confessione locum magis imum, et sacerdos magis altum, ut non de facili se videant mutuo, ne insidiante diabolo illa impediatur in confessione propter verecundiam, vel sacerdos insidietur ex illicita cogitatione. » (1)

Praeter haec, velum sit ante confessionale impediens, ne confessarius inconsulte poenitentes prospiciat advenientes.

« Laudabiliter etiam, scribit R. D. Camele supra citatus, ubique introduceretur consuetudo locorum in quibus confessionalia habent velum cooperiens aut repagulum occultans caput et humeros poenitentis, ita ut non videatur a circumstantibus aut praetereuntibus : hoc multum minuit verecundiam et timorem poenitentis, ne alii aliquid percipiant de sua accusatione. »

Audiendo confessionem peccatoris sibi noti, simulet confessarius se non cognoscere poenitentem. Caveat etiam ne ponat quaestiones ut veniat in notitiam peccatoris incogniti ; nam

(1) *De officio sacerdotis.*

saepe poenitens adit confessarium, qui eum non cognoscit; secus nec accederet nec reverteretur. (1)

3° Interrogatio. — Si vero poenitens verecundia atque timore perculsus contremiscit, confessarius, animarum salutis studio ardens, tunc praesertim poenitentem paterna charitate adjuvet et interroget, ut omnia candide confiteatur, atque nullum mortale celet peccatum.

Audiamus magistros nostros in administratione Sacramenti Poenitentiae.

In *Corpus Juris Canonici* haec leguntur : « Diligens igitur inquisitor et subtilis investigator sapienter, et quasi astute interroget a peccatore, quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet investigare, et locum, et tempus, et caetera, quae supra diximus in exponendo eorum qualitates. Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, et secum onus portare : habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate : adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, et cetera bona pro eo faciendo : semper

(1) S. Alph. *Praxis n. 119.*

eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, et cum opus fuerit, etiam increpando. » (1)

Aures demus instructionibus Ritualis Romani : « Sacerdos, ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat. Mox confessarius inquirat num rite atque integre alias confessus fuerit.

Peccata sua exinde confiteatur poenitens, adjuvante quotiescumque opus fuerit sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita confessione; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere : proinde fiduciam ei praebeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent. »

« Confessarius, docet Marc, tenetur, quandoque sub gravi, interrogare poenitentem. Ratio prima est, quod praetermissio opportunarum interrogationum redundat in damnum animarum; nam potest praebere occasionem *multis confessionibus sacrilegis*, quia sunt multi

(1) *Decr. Grat. c. qui vult, de Poen. dist. 6.*

poenitentes, qui, nisi interrogentur, graviora peccata silentio praetereunt. » (1)

Sequentia ex Berardi exscribo : « Si confessarius de sacrilega reticentia plus vel minus dubitet, tunc, nonnullis auditis, iterum animum addere poterit, dicendo, v. g. : *Haec sunt levia* (*aut minus gravia*); *dic graviora; nihil timeas; dic graviora.*

Rudes interrogati de cogitationibus, facile negative respondent, quamvis non solum cogitationibus, sed etiam factis deliquerint; unde (quando, ut dixi, sunt in malitia) melius est ut sine ulla mica salis circa facta interrogentur.

Expedire non solet ut confessarius, de dicta reticentia timens, sic et simpliciter in initio confessionis interroget poenitentem utrum in praeteritis confessionibus peccata ex verecundia reticuerit; facile enim id statim negabit. » (2)

« Confessarius non debet exspectare quoad usque poenitens hanc faciat declarationem : pater, verecundia adduxit me ut peccata celarem ; vellem confessionem generalem instituere.

(1) *Inst. mor., n. 1804.*

(2) *Praxis conf., n. 4708, 4712* et *4717.* — Vide etiam S. Alph. *Theol. mor., L. 6, n. 632.*

Hoc est enim rarissimum, et persaepius confessarius hunc finem non nisi per subtilissimas industrias consequitur.

Simulet poenitentem sibi potius reum quam innocentem videri sicque facilius confitentem reum habebit ». Ita Mach. (1)

« Si observet confessarius, sic legimus apud Dens, poenitentem reticere ex *pudore*, vel *timore*, convenit interrogationes incipere a majoribus, proponendo eidem, v. g., an commiserit homicidium, an adulterium, an sacrilegum furtum, etc.; quia tunc poenitens prompte respondebit, non esse tam enorme crimen, et audebit propalare suum peccatum, quod minus est, ut evadat suspicionem majoris. » (2)

« Remedia specialia, docet R. P. Aertnys, contra reticentiam in confessione sunt... de graviori aliquo peccato, quod poenitens probabiliter non commisit, eum interrogare. » (3)

Persaepe in missionibus expertus sum etiam eos qui pluribus intererant concionibus, et quidem in quibus sermo habebatur de confes-

(1) *Trésor du prêtre*, 2e partie, L. 13, ch. 6, § 2.
(2) *Theologia ad usum seminariorum* (1830). *De Conf. Sacr. n. 90.*
(3) *Theol. past., n. 32.*

sionibus sacrilegis, nisi interrogati fuissent a confessario, omnia celaturos fuisse.

Expertus sum viros praesertim qui non multum peccant cum feminis, crimina committere cum bestiis, et saepius haec tacere in confessione, etiam nonnumquam tempore missionis, ita ut, nisi interrogentur, in peccatis usque ad mortem sordescerent. Si ergo locus suspicioni datur, interrogandi sunt. Sed quomodo? Dicendo, v. g. quoties peccasti causa, occasione animalium? Si confessarius audiat eum haec nefaria non perpetrasse, statim addat : Nonne eorum causa iratus fuisti; vel aliam ponat quaestionem. « De bestialitate caute, sed semper interrogandi sunt libidini multum dediti. — Aliunde, quot inveniuntur, qui cum illud semel aut iterum commiserint, forsan solum in adolescentia, de illo diutissime taceant! » (1)

« Dicendum quod sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus et judex causam : quia frequenter, quae prae confusione confitens taceret, interrogatus revelat. » Haec apud S. Thom. (2)

(1) Marc. *Instit. mor. Editio 9, n. 805. Sub II.*
(2) *In IV Sent. L. IV, dist. XIX.*

« Ad audiendam confessionem cum accedit confessarius, ait S. Carolus Borromaeus, ante brevi precatione, qua divinae gratiae lumen in eo ministerio rite peragendo sibi postulat, tacitus utetur : ac praeterea preces adhibere potest, quae infra notatae sunt.

» Observet si quod peccatum mortale in confessionibus praeteritis studiose subticuit confitens : de quo si constet, iterandum erit opus.

» Caveat omni modo poenitentem ita terrefacere, ut propterea aliud grave peccatum subticeat; imo animum ei addat, ut omnia, quantumvis enormia et turpia peccata, aperire non vereatur. » (1)

« Confessarius charitatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore charitate eas amplectatur, eisque animum praebeat his aut similibus verbis : Eja frater! bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuae conscientiae sinus non introspexeris : sufficit si ad interrogata

(1) *Instr. de Sacr. Poen.*

respondeas. Age Deo gratias qui te hucusque ad poenitentiam exspectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Laetare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; ideoque te exspectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas. »

« Charitatem deinde longe majorem ostendere debet in confessionem excipiendo... In actu confessionis regulariter abstinere debet confessarius a correctione fraterna, ne forte exterriti poenitentes peccata reticeant. » Haec tradit S. Alphonsus. (1)

« Circa 1^m praeceptum, pergit S. Doctor, interroget poenitentem... 3° An unquam olim rubore suffectus in confessione aliquod peccatum reticuerit? Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes, et mulierculas, qui raro frequentant sacramenta, dicendo eis : Forsan aliquis anteactae vitae scrupulus te mordet; cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tua depone, etc. Hac interrogatione, ajebat quidam diligens operarius, a se multas

(1) *Praxis conf. cap. 1 n. 3 et 4.*

animas a confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat jam hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus, a quo peccare cessavit, confessus sit, et communicaverit? et si quotiescumque confitebatur, vel communicabat, ad sacrilegium advertebat? Contingit enim aliquibus interdum sacrilege confiteri, praecipue in pueritia, et postea horum oblivisci; hi enim non tenentur ad repetendas confessiones oblivionis tempore factas... Oportet autem operam dare, ut qui peccata reticuerunt, cognoscant, quam maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus sanguinem Jesu-Christi. » (1)

« Poenitentes, de quibus justa potest esse suspicio, quod propter erubescentiam aliqua peccata tacuerint, (ut sunt rudes, mulieres et pueri) interroget, utrum anteactae vitae scrupulum aliquem habeant, eos animando ad dicendum omnia. Per has interrogationes solent liberari plures animae a sacrilegiis. » (2)

« Cautissimus sit in interrogando de materia

(1) *Praxis conf. cap. 2 n. 22.*
(2) *Cap. 10, n. 178.*

turpi, praesertim puellas et pueros, ne quod ignorant, isti addiscant, aut saltem ad curiositatem excitentur. Ex alia parte non omittat exquirere ab eis an in hac materia aliquid deliquerint, quod rubore celaverint. Et circa hoc non sibi satis habeat illos perfunctorie et generatim interrogare utrum in conscientia habeant aliquod peccatum ex rubore omissum; nam a quibusdam, nimirum a rudibus, pecudum custodibus, puellis et juvenculis opus est semel atque iterum solerter expiscari aliquod peccatum quod reticent, argutias et circumlocutiones adhibendo. Hoc maxime efficiendum, ut eis animus praebeatur, et dicatur ne timeant, quia ipse absolvet eos ab omnibus peccatis; et quod si omnes conscientiae sinus aperuerint, deinde maximam pacem et consolationem conscientiae assequentur. Haec diligentia praesertim cum moribundis adhibeatur. Et non abs re erit si idem efficiatur cum puellis quae devotionem profitentur : quot ex istis reperiuntur sacrilegiis gravatae, ob aliquod peccatum quod reticuerunt? Sed potissimum astutiis utendum cum pueris et puellis, qui spirituales non sunt. » (1)

(1) *Homo Apost. Appendix 4, n. 3.*

« Multoties, dicit S. Doctor, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, verbi gratia : et nunc dic mihi, quoties haec fecisti? Quinquies, decies? » (1)

Non abs re erit hic sequentia observare : 1° Eos, qui abhinc pluribus annis sacrilege confessi sunt, non dimittendos ut sese iterum examinent; plerumque enim talium conscientiam ipse confessarius paucis quaestionibus perfectius perscrutabitur, quam ipsi poenitentes, etiam integra hebdomade in examine transacta. Consentit S. Alphonsus : « Et hic pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendae essent confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quod si non redeat, peribit. » (2)

« Dico, scribit Doctor Zelantissimus, quod confessarius tenetur ex rigorosa obligatione charitatis disponere poenitentem quantum valet, qui indispositus accedit, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinae gratiae, periculum damnationis, et similia, etiamsi multum

(1) *Praxis conf., cap. 7. n. 90.*
(2) *Praxis n. 20.*

temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curae esse debet, quod alii poenitentes exspectent : nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui poenitentis, pro quo tantum illo tunc, non vero pro aliis, rationem est Deo redditurus. Et parum refert quod alii exspectent, aut inconfessi discedant. » (1)

2° « Perpaucos esse poenitentes, ut dicit alibi S. Alphonsus, praesertim rudes, qui, praeposito actu doloris, ad confitendum accedant. » (2) « Quapropter contritio, ait Marc, non remittenda est ad punctum absolutionis, quia facile accidere potest, praesertim in confessione rudium, ut absolutionis forma desinat, antequam actus contritionis fuerit elicitus » : (3) sed elaborare debet confessarius, ut poenitens, ante absolutionem, animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero concipiat.

Venerabilis Paulus Segneri pulchre exponit modum interrogandi : « Nunc dicendum est de illis qui, malo deplorando laborantes, peccata sua explicare nolunt, atque muti ac surdi facti sunt.

(1) *L. 6 n. 608.*
(2) *Praxis conf. Cap. I. n. 10.*
(3) Marc. *n. 1669.*

Dici non potest, quantum apud hos valeat periti confessarii industria. Certum est, praecipuum missionum lucrum et operae pretium reportari ex isto hominum genere : quanquam hi fructus nobilissimi, instar metalli sub terra procul ab hominum oculis remoti, aeterno lateant sacramenti sigillo occlusi. Frequenter accidit, ut animae nonnullae ex orci faucibus extrahantur, in quibus multos jam annos haerebant demersi, sine ulla spe inde unquam evadendi. Nunc ad praxim ipsam accedendo : Oportet te adhibere illam industriam, qua usum fuisse legimus Ezechielem in explorandis abominationibus latentibus intra templum. Viderat is parvum foramen in pariete : *Ecce foramen unum*. Jubetur istud a Deo dilatare : *Fode parietem, fode parietem :* quo facto, *apparuit ostium*, ita ut Propheta per illud facile potuerit inspicere *abominationes pessimas.* Parvum istud foramen est levis aliqua culpa sponte a peccatore aperta. Necesse est ut confessarius sua diligentia latiorem reddat accessum, quem ad cor nactus est, pandatque sibi ostium tam amplum, per quod penetrans lustrare et cognoscere possit, quidquid abominationum ibi lateat absconditum.

Accidit aliquando, ut juvenis quidam audacter neget peccatum molitiei, postea vero rogatus, quoties deliquerit, a quot annis hoc vitio sit irretitus, atque an non semper in confessionibus illud reticuerit, candide veritatem edicat, permittatque ut e visceribus extrahatur virus quod sua sponte non poterat evomere...

Vix credi potest, quantum conducat tales ponere quaestiones ut, si ita fieri possit, poenitenti plura non sint dicenda quam : ita, pater; non, pater. » (1)

Doctor dulcedine charitatis Dei perfusus, S. Franciscus Salesius nobis viam ad cor poenitentis monstrabit : « Si pudore et verecundia poenitentem laborare perspiciatis, animum illi et fiduciam addite, dicendo et ostendendo, non magis quam illum, vos Angelos esse; minime vobis mirum videri si homines peccent; confessionem et poenitentiam longe majorem homini honorem adferre, quam peccatum confusionem; Deum primò, ac dein confessarios non aestimare homines juxta illud quod olim fuere, sed juxta id quod sunt in praesenti; peccata denique

(1) *Instructio confessarii, cap. 2.*

in confessione declarata, apud Deum et confessarium velut sepeliri, adeo ut nulla eorum memoria supersit. »

Et in fine ejusdem capitis : « Tertio, si quam eos difficultatem sentire videatis in peccatis illis inhonestis per se aperiendis, vos illos circa leviora interrogare incipite, uti sunt, an voluptatem aliquam e rerum inhonestarum auditu perceperint, inhonestas cogitationes habuerint; atque paulatim ex uno ad aliud gradu facto, ex auditu, inquam, ad cogitationes, a cogitationibus ad desideria, voluntates, opera ipsa, prout quidem ipsi sese patefacient, descendendo, animabitis et adhortabimini eos ad semper ulterius procedendum. Quem in finem his aut hujus generis verbis eos subinde compellabitis : quam tu felix es, quod bene riteque confitearis; credas velim, Deum magnam tibi gratiam facere; vide Spiritum Sanctum mentem tibi propius tangere, ut bonam confessionem instituas; animose, fili, intrepide et libere peccata tua aperi, noli propterea tristis esse aut distorqueri ; non multo post, summum gaudium gaudebis, quod sic rite confessus sis, nec ob ullam omnino rationem voles, quin conscientiam tuam tam liquide et sincere aperuisses;

in mortis hora magnae tibi consolationi erit, quod humilem hanc confessionem feceris. Benedicat Dominus cor tuum ad sese accusandum tam bene dispositum. Ita paulatim et suaviter animas eorum compelletis ad perfecte peccata sua detegenda.

Quarto, si quando in eos poenitentes incidatis qui ob enormia, quae admisere peccata, uti sunt incantationes, veneficia, concubitus cum diabolo, bestialitates, homicidia sanguinaria, et aliae hujusmodi abominationes, mirum in modum suis in conscientiis percelluntur, agitantur et consternantur : omni modo eos relevare et consolari debetis, magnam Dei misericordiam apud eos extollendo, utpote quae ad ipsis ignoscendum infinities potentior est, quam universa mundi peccata ad illos damnandos; insuper opem vestram et auxilium illis addicite, quacumque in re et quoties opus habebunt ad animae suae salutem operandam. » (1)

Sed dulcis Dominus Jesus ipse docet omnes confessarios in historia mulieris samaritanae artem blandam, quae peccatores paulatim ad suorum peccatorum confessionem praeparat.

(1) *Instructio pro confessariis. Cap. I, art. 2, § 7.*

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. Jesus colloquii initium facit ab ipsa re, quam mulier tractabat, ut ei retia tenderet ; nam a discipulis qui in civitatem abierant ut cibos emerent, operam sedandae sitis petere potuisset.

In verbis : « *Vade, voca virum tuum et veni huc,* » Christus intendit eam disponere ad agendam poenitentiam, sine qua nemo ad aquam vivam accipiendam idoneus est.

Etenim cum mulier responderet : « *Non habeo virum,* » *dicit ei Jesus :* « *Bene dixisti, quia non habeo virum,* » sciebat illa quidem illegitimum virum non esse virum, cum interim turpitudinem suam hac ambidextra locutione dissimularet. Sic prius laudat Christus ingenuitatem veracis confessionis, dicendo : « *Bene dixisti;* » sed mox supplet quod illa celaverat, verum verborum sensum aperiendo : « *Quinque enim viros* legitimos *habuisti, et nunc quem habes non est tuus vir : hoc vere dixisti* » quod non habes virum legitimum. Hinc ergo Samaritana a longe agnoscens, quis esset, qui ipsam alloqueretur, ait : « *Domine, video quia Propheta es tu.* »

Tum vero audiens et credens Eum esse Mes-

siam, rei admiratione stupefacta, et fidei ardore incensa relinquit hydriam suam, et omni cura rei familiaris abjecta, abiit in civitatem, ut Messiam, quem invenerat, aliis evangelizaret : « *Venite*, inquit, *et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci.* » (1)

Si ab ea postulata fuisset ultronea turpium suorum flagitiorum confessio, Deus scit, an unquam eo se adduci passa fuisset. Ubi vero tanta suavitate a Christo se detectam sensit, facillimum erat confiteri, sine alia molestia, quam respondendo tantummodo : « *Propheta es tu* » (2).

Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis : quia dixit mihi omnia quaecumque feci. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus, et mulieri dicebant : quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus et scimus quia hic est vere Salvator mundi.

Pari modo, qui in reparandis sacrilegis con-

(1) Jansenius. *In Evangelia. — S. Joannis*, 4. 7.
(2) Segneri, *Instructio confessarii, cap. 2.*

fessionibus, a sacerdote charitate et mansuetudine pleno adjuti sunt, gaudentes amicis suis nuntiant : Ibi sedet optimus confessarius. Ex quo fit ut ceteri similiter conscientiam sacrilegam apud alterum illum messiam exonerent, atque revertantur dicentes : quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim experti sumus et scimus quia hic est homo Dei.

Ex instructione Domini nostri atque Sanctorum ad praxim deveniamus.

Verbi gratia, puella 25 annorum accedit ad confitendum. Declarat submissa voce atque cum anxietate multas pravas cogitationes, turpia desideria et verba. Si intelligis eam operose confiteri, illi animum addas, et statim audies illam altius loquentem : confessario confidit, quia signum ejus benignitatis habet. Peracta confessione, denuo cordate eam alloquaris; deinde, si commissi peccati, et sacrilegae confessionis indicium habeas, suavi modo sequentem instituas interrogationem. C. Ergo abhinc septem annis, eadem peccata cogitationis, desiderii, verborum committis? — P. Utique, pater. — C. Et per quot annos commisisti peccata cum juvene? — Sed antequam responsum det, eam denuo ad sinceritatem excites,

dicendo: Eja, ne verecunderis; omnia tibi remittam, si omnia ingenue fatearis; cor humanum plane cognitum habeo; innumeras confessiones audivi, et nihil miror; dic, quaeso, per quot annos admisisti peccatum fornicationis, per septem annos, nonne? — P. Non pater, per quatuor. — C. Et quot vicibus in mense? — P. Semel in mense. — C. Et per quot annos retices peccata in confessione? Prima vice haec dicis? Eja, ne expavescas; numquam ausa es peccata contra istud praeceptum confiteri? — P. Non, pater. — C. Et singulis mensibus confitebaris? — P. Non, pater, sed circiter omni bimestri. — C. Hoc magnum mihi gaudium est, quod omnia sincere aperis; bene omnia intellexi. Tibi quasdam alias quaestiones ponam, et brevi finem habebit interrogatio. De omnibus peccatis vitae anteactae te interrogabo; sufficit tibi respondere : ita, non.

Igitur ante omnia poenitens ipsius confessarii bonitatem clementiamque perspicuas habeat. Si quidem confessarius animum sui poenitentis sibi devinxit, illum fere initio confessionis circa omnia, ne horribilibus quidem exceptis, peccata interrogare poterit. Si contra poenitentem non sibi conciliavit, cum periculo confitentis illam interrogationem instituet.

Cum in praesenti casu puellae fiduciam praeoccupaverit, statim, si datur suspicio, sequentes interrogationes adjiciat. C. Tua peccata impudicitiae ordinarias habuerunt sequelas? — P. Ita, pater. — C. Sed quot vicibus adhibuisti media ut abortum provocares? Noli timere, non te increpabo; omnia crimina tibi remittam. Dic, quot vicibus adhibuisti media ut abortum provocares? — P. Quater, quinquies. — C. Et nunquam ausa es haec tentamina confiteri? — P. Non, Pater. — Postea de aliis peccatis vitae anteactae interroges, et in fine ponas hanc quaestionem : An adhuc aliquid aliud memoria tenes? — P. Preces meas mane et vespere oblita sum, reverende Pater. — C. Nunc optimam confessionem generalem instituisti; de omnibus te interrogavi, omnia dicta tua animo intellexi; deinceps praeterita non amplius perscruteris : pro te enim me obligo coram Deo. Sed, filia mea, ubi nunc esses, absque Dei misericordia? In inferno utique, in illo igne semper cruciandа! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses! Ab omnibus quidem derelicta, a Deo in aeternum rejecta! Te poenitetne igitur Deum offendisse, propter infernum quem meruisti? — P. Utique, Pater. — C. Filia mea,

quid egisti? Peccasti in Deum summum et infinite bonum : nullam tantae bonitatis rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab eo : contempsisti amicitiam, et gratiam ejus. Eja ergo, poenitetne te ex toto corde quod offendisti Deum, bonitatem infinitam ? — P. Ita, Pater. — C. Quapropter detestare et super omnia mala odio habe omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam disposita es millies mori, quam haec in posterum rursus committere et occasionem denuo quaerere? — P. Utique, Pater. — C. Anima tua nunc ut nix dealbata est, et ut in die baptismatis candida; si forte post hanc confessionem generalem, subitam mortem obires, certo certius anima tua in aeternum salvaretur. Nunc lente recites actum contritionis : tibi absolutionem impertiar. Actus contritionis. (1)

Animadvertere interest illam interrogationem non semper eamdem esse debere; nam ordo interrogationis pendet a circumstantiis, experientia et judicio confessarii, qui oppor-

(1) Cfr. S. Alph. *Praxis, c. 1, n. 10.* — Mach. *Le trésor du prêtre. 2e p. l. 13. c. 6. § 2.* — S. Philippus Nereus apud Zelle. *L. 2, p. 101.* Ven. Segneri. *Instructio confessarii, cap. 2.*

tune usurpabit quae habentur in Jure Canonico : « Diligens inquisitor et subtilis investigator *sapienter, et quasi astute interroget a peccatore, quod forsitan verecundia velit occultare.* »

Acutum quidem judicium et experientia magnopere conferunt ad peccata latentia e tenebris eruenda, ast haec minime sufficiunt ad peccatoris conversionem operandam. Illam prudentiam, ut ait S. Leonardus, a Deo obtinemus non tantum studio, sed multo magis lacrymis et oratione.

4° *Malo mederi debemus, quam maximam in confessario eligendo libertatem tribuendo.*

« Parochus in civitate, pius et zelo flagrans, sed zelotypia laborans propter devotulas, recessum faciebat apud religiosos quorum ecclesia peregrinantium frequentia celebris erat. Quadam vigilia dici festivi peregrini confluebant, et confessarios postulabant. Superior religiosorum deprecabatur parochum, ut et ipse confessiones audire vellet; quod munus libenter suscepit. Nobilis matrona accedit ad confitendum apud parochum istum. Pater mi, ingemit, felix haec hora in qua me sceleribus apud te levare possum! Abhinc viginti annis in sacrile-

giis vivo; numquam parocho meo peccata confiteri ausa sum. Sed, reponit confessarius, an non apud vicarium, vel alium praedicatorem confiteri potuisti? — Non, Pater mi, parochus meus rescivisset, et scio quod hoc illi displicuisset. Demum stimulis conscientiae concitata, peregrinationem praetendi, ut liberam facerem confessionem. — Bonus parochus haec omnia auribus accepit, et se unum ex religiosis hujus communitatis simulavit. Sed exinde ab errore revocatus est; nam hanc matronam dignovit unam ex suis maxime assiduis poenitentibus!

Historia narrata fuit ab ipso sacerdote. » (1)

Sapienter monet idem auctor : « Accidit etiam parochos invicem auxilium praestare alicujus festi aut ceremoniae localis occasione. Laudandum est sane; at non sibi persuadeant hoc sufficiens esse remedium sacrilegis confessionibus; etenim ruri omnes regionis presbyteri cognoscuntur, et ipsi regionis inhabitantes sese ab eis invicem cognosci existimant. Oportet igitur interdum alios et plane ignotos arcessere confessarios. » (2)

(1) Zelle. *La confession d'après les grands maîtres. Chap. II, p. 48.*

(2) Zelle. Opus cit. *L. 3, chap. I, p. 219.*

Qua de re similem practicam doctrinam tradit R. P. Aertnys : « Non aegre ferat confessarius, quinimo suadeat et occasionem praebeat, ut poenitentes ordinarii subinde apud alium confessarium confiteantur, atque, si id fecerint, eos hac de re laudet; excipiendi tamen sunt scrupulosi, qui inde magis perturbari possent, eo quod alius confessarius illos non cognoscat. »(1)

« Deus scit, ait Hilarius a Sexten, Ordinis Capuc., quot et quanta sacrilegia jam patrata sint propter denegatam confessionis libertatem. Hinc valde optandum est, ut parochi interdum confessarios *ignotos* arcessant, ad quos oviculae libere accedere possint; matribus familias quoque caute suadendum est, ut hac in re plenam suis filiis et filiabus libertatem concedant. Imo nec aegre ferant animarum curatores, si eorum oviculae interdum ad alios sacerdotes vicinos pergant, ut eis confiteantur. In die judicii patefiet, quot sacrilegia per hujusmodi a zelotypia tam insectatas excursiones impedita, quotque confessiones invalidae et sacrilegae reconvalidatae sint. » (2)

---

(1) Aertnys. *Theol. past.* n. 32.

(2) *Tractatus pastoralis de Sacram, p. 2, c. 4, De Sacr. Poen.*, § *44.*

« Concedat confessarius poenitentibus omnem libertatem ut confiteantur quibus voluerint, et etiam eos quandoque obliget. Credite mihi, venerabiles confratres, hoc punctum maximi est momenti. Quid inservit, si poenitens quotidie communicat, si prae confusione peccata in confessione tacet? Tempore missionis, confessionale aliis cedant confessarii ordinarii. « Pater, non habent fiduciam nisi in me; conturbabuntur, si alii debent confiteri; male facient confessionem suam. » Haec mihi dicebat quidam monialium confessarius jam vita functus; et poenitens quae totam in eo fiduciam reposuerat, ut aiebat.... sese jejuniis etiam ecclesiasticis eximebat; quinimo, sacram Hostiam ore educens, quis scit quot et quam nefanda commiserit! Et quinquies in hebdomade coelesti se Pane reficiens, omnia heu! per tredecim annos bono illi confessario reticuerat! » Haec inveni apud Mach. (1)

« Peccat sacerdos, dicit S. Thomas, si non esset facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali

(1) *Trésor du prêtre. 2e p. L. 13, chap. 7 § 2.*

sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. » (1)

Denuo S. Doctori Ecclesiae Alphonso auscultemus : « Caveat confessarius, ne his suis poenitentibus spiritualibus, praesertim feminis, prohibeat accedere ad alium confessarium ; et cum advertit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse ; imo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur, praeterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat ne, si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter confessarius, ne sollicitum se ostendat, se velle alicujus animae directionem suscipere. » (2)

« Persuasum quoque habebat Sanctus deberi concedi confessarium extraordinarium cuicumque moniali, quotiescumque haec illud votum exprimeret : secus enim timendum esse ne centies sacrilege confiteretur. Quadam die, acerbe illacrymans audivit, in quadam communitate ubi confessarii extraordinarii copia non erat, aliquas moniales a longo jam tempore a

(1) *Suppl. Q. 8 A 4 ad. 6^m.*
(2) *Praxis conf. n. 100.*

confessione sese abstinuisse. Quaedam inter illas mulieres cupiebat peccata confessario extraneo patefacere, sed episcopus judicavit statutam regulam esse servandam. Instanti morte, monialis illa infelix exclamavit : « Damnata sum » et misere desperans exspiravit. Quare S. Alphonsus ut episcopus jussit voto cujuscumque monialis dandam esse satisfactionem, quotiescumque illa suum desiderium aperiret confessionem instituendi apud confessarium probatae integritatis. » (1)

Ad praecavenda sacrilegia existit in quibusdem regionibus consuetudo qua parochus non potest audire confessiones monialium quae scholae suae parochialis curam habent.

Demum, si confessarius vel poenitens surdastris sit, sese in sacristiam conferant.

Subjicimus hic statuta diversarum dioecesium et Decreta Ecclesiae.

Statuta dioecesis Gandavensis : « Cum summi momenti sit conscientiae libertas, pastores aliique confessarii ita se gerant, ut eorum poenitentes nequidem suspicari valeant aegre eos ferre quod alteri confiteantur. » (2)

(1) Berthe. *S. Alphonse, vol. 2, L. 4, chap. 13.*
(2) *Tit. VI. c. IX.*

Statuta dioecesis Brugensis : « Ubi de Sacramento Poenitentiae agitur, parochi et alii confessarii poenitentem nullum ad sibi soli confitendum inducant : imo etiam volentem id promittere, vel vovere, prohibeant : sed potius curent, ut, omni sublato partium studio, nemo dicere queat : *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae.* Itaque summopere caveant ne unquam manifestent sibi ingratum esse si quandoque sui poenitentes apud alium sacerdotem confiteantur. Quod quidem maxime vitandum est respectu neocommunicantium, nupturientium et eorum qui SS. Viatico reficiendi sunt. » (1)

Statuta dioecesis Leodiensis : « Curet parochus ut etiam vicarius, vel vicinus parochus periculose aegrotantes visitet, si commode fieri potest, ut ita libertati conscientiae consulatur. » (2)

Statuta Archid. Mechliniensis : « Ubi missio in aliqua parochia instituitur, parochus et vicarius, aliique sacerdotes in ipsa confessiones ordinarie excipientes, ab audiendis inibi poeni-

(1) *P. 2. tit. II. Art. 2.*
(2) *De Viatico n. 194.*

tentibus, toto missionis tempore, quoad fieri licebit, abstineant. Curent vero parochi, quoties necessitas vel utilitas aderit, ut extraordinarii adveniant confessarii, qui una cum missionariis fidelium confessiones excipiant. » (1)

Van Egeren hanc quaestionem habet : « Quid speciatim notare expediat circa procurandam fidelibus libertatem confessarium eligendi » ?

Resp. a). Ex Syn. Prov. Ultrajectensis (Utrecht, Hollande), p. 161 : « Cum summi momenti sit confessarii electio, pastores aliique confessarii ita se gerant, ut eorum poenitentes ne quidem suspicari valeant, aegre eos ferre, quod alteri confiteantur. E contra pastores, quoties id fieri poterit, occasione alicujus missionis, jubilaei, Patroni loci, adorationis perpetuae, vel pii exercitii XL horarum, etc., suis confessarios extraordinarios procurare satagant : hoc enim maxime conducet, ut obvietur sacrilegiis, quae, proh dolor, saepe perpetrantur. »

Et p. 181 : « Perspicuum est electionem confessarii in ordine ad confessionem antenuptialem omnino liberam esse relinquendam. »

(1) *N. 187.* — Cfr. etiam *n. 263 et seqq.*

b) Ex Prosyn. Ultraj. habita die 11 Nov. 1868, ab Ill. Arch. Andrea Ignatio : « Exigit tenerrima cura, quae de *parvulis* habenda est, qui ad primam celebrandam sacram Communionem praeparantur, ut omnis procul ab iis timor abigatur, ne confessarii electio aegre fortasse ferri posset, utque *plenissima* idcirco *libertate* se gaudere sciant in eligendo sacerdote, apud quem peccata sua confiteantur. Eam ob causam pro paterna nostra erga pusillos istos sollicitudine, adhortandos esse duximus pastores, qui adjutore vicario aut assistente utuntur, ut tempestive neocommunicandis annuntient, plane integrum ipsis esse ut ad quemcumque maluerint confessarium accedere possint et valeant. » (1)

Maxima libertas concedatur pueris qui confessionem primae communioni praeparatoriam sunt instituturi. Quot adultos quidem inveni qui illam maximi momenti confessionem et communionem perperam egerunt. Numquam certe e memoria excidit praeclara illa primae communionis dies! Si reapse tum pace et quiete plena fuit mens, hujusce recordatio pueris ani-

(1) *Notationes (1875) de confessione sac. Art. 2 § 3.*

mos viresque addet, ut adolescentiam pie et devote traducant, et in senectute adhuc gaudio exultent. Si vero sacrilega est communio prima, initium erit seriei peccatorum. Etenim qui tantam diem horrendo illo peccato foedare audent, interdum per annos integros sacrilegia sacrilegiis addunt.

Aliquis dicet : « Intimius quam ceteri sacerdotes pueros istos cognosco, et ab eis cognitus sum, quin imo alieni confessarii eis timorem injiciunt. » Charissime, recordari velis varias reticentiae causas, de quibus capitulo altero egimus, quibusque monstravimus eo magis peccatores in periculo versari, quo magis a confessariis cognoscuntur.

Constat ex sequentibus documentis piam matrem Ecclesiam quam maximi facere confessionis libertatem.

Benedictus XIV haec praescribit : ... « Jam vero sacrosancti Tridentini Concilii Patres, hanc legem districte sanxerunt, *sess. 25, c. 10, de Regul.*, ut Episcopi, aliique monasteriorum Praelati, subjectis sibi monialibus confessarium extraordinarium, duabus aut tribus vicibus in singulos annos, exhibere debeant... Nec aliud nobis hac in re addendum superest, nisi,

ut venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis claustralibus Monialibus in praemisso decreto loquatur, nihilominus eamdem disciplinae formam observent, tum cum aliis Monialibus, quae, licet clausurae legibus minime adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum, aut Puellarum coetibus, seu Conservatoriis, quoties tam illae, quam istae, unicum Ordinarium Poenitentiae Ministrum a superioribus designatum habeant. » (1)

Sanctissimus Dominus Leo XIII sancivit anno 1890 : « Praeterea, ait, firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur, et a Bened. XIV statuitur : Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adiguntur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanide tam provida dispositio fiat, Ordinarios

(1) Bulla *Pastoralis curae.*

exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant ». (1)

« Non tibi in animum inducas, ait S. Alphonsus, inutilem esse confessarium extraordinarium, eo quod nemo monialium eum poscat; quia saepe, quae minus talem petunt, eo plus illo indigent : ipsa nihil dicit, ne alii conscientiam ejus oneratam esse suspicentur. » (2)

En *Decretum 5 Julii 1899 quo Romae prohibetur Superioribus audire confessiones sacramentales subditorum suorum.*

« Huic Supremae S. R. et U. Inquisitioni relatum est quod in hac Alma Urbe nonnulli Religiosarum Communitatum, necnon Seminariorum et Collegiorum Superiores, suorum alumnorum in eadem domo degentium sacramentales excipiant confessiones. Ex quo quanta incommoda, immo quot gravia mala oboriri possint, nemo qui in sacris ministeriis vel mediocriter sit versatus pro comperto non habet.

(1) Decretum *Quemadmodum die 17 Dec. 1890, n. IV.*
(2) *Véritable Epouse, chap. XXIII, § 1er.*

Ex una enim parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis integritas periclitatur; ex alia vero Superiores minus liberi esse possent in regimine communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, quorum confessiones excipiunt.

Quapropter ut hisce aliisque malis, quae ex hujusmodi abusu facile oriri queunt, occurratur, suprema haec S. Officii Congregatio, de expresso SS. D. N. Leonis PP. XIII mandato, districte prohibet ne ullus cujusquam Religiosae Communitatis aut Seminarii aut Collegii Superior, sive major sive minor, in hac Alma Urbe (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo ejus conscientia oneratur), suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentales Confessiones audire ullo pacto audeat. »(1)

Ad dubium autem postea propositum : « An Decretum S. Officii diei 5 Julii 1899, quo Superiores vetantur excipere confessiones suorum subditorum, derogaverit apostolicis Constitutionibus, quae Regulares Ordines respiciunt, » sic

(1) *Acta S. Sedis, vol. 32, p. 64.*

responsum fuit die 23 Aug. 1899 : « Per decretum S. Officii 5 Julii 1899 nihil derogatum fuisse Constitutionibus apostolicis quoad Ordines Religiosos. » (1)

En quoque in commodum lectorum dispositiones apostolicas in subjecta materia.

« Ipsi autem magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire. » (2)

Quaeritur. *An Novitii valide etiam absque delegatione Superioris absolvi possint a confessariis dioecesanis.*

Resp. Disputatur inter Theologos.

Sententia communior (3) affirmat, eos posse absque delegatione Superioris valide absolvi a confessariis dioecesanis. Sunt enim novitii quoad Ordinem id quod sunt catechumeni quoad Ecclesiam, utpote qui nec etiam legibus

(1) *Acta S. Sedis, vol. 32, p. 253.*

(2) Clem. VIII in Constit. *Cum ad Regularem 19 Mart. 1603, § 28.*

(3) Salm., *tr. 18, c. 4, n. 57.* — Pauwels ap. Migne. *Curs. Theol. comp. vol. 18 p. 1230.* — Ferraris, v. *approbatio art. 2, n. 2-7.* — Bonal. *Inst. jur. can. tr. 6, n. 115-116.*

Ecclesiae ligantur. Unde nec novitii stricte ligantur lege exemptionis et reservationis casuum a Superiore statutorum, neque huic obstat, quod Clemens VIII statuit sc. : « ut Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur » Ex toto enim tenore hujus Constitutionis elucet hoc esse tantum de praecepto Regulae, in conscientia non obligante, ideo minime irritativo. A casibus vero dioecesanis (1) tum absolvi non possunt.

E contra Lehmkuhl (2) cum alliis negat, novitium, dum manere velit in Ordine, absque delegatione Superioris valide posse absolvi a confessario pro saecularibus tantum jurisdictionato, eumque qui independenter a Superiore valide cupiat a tali absolvi, interrumpere novitiatum. Versamur igitur in dubio juris et utramque sententiam sequi possumus *in genere* loquendo. In variis etiam Ordinibus adest consensus tacitus et implicitus, vi cujus (ut observat etiam Lehmkuhl) novitii confitentes confessario ab Ordinario tantum approbato, licet saeculari sacerdoti, etiam ab hoc certo valide absolvuntur.

(1) Cfr. S. Alph. *L. VI, 583. Hic.*
(2) *Theol. mor., vol. 2, n. 397.*

« Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint. » (1)

Ex quo intellige privilegium magistris novitiorum apud Jesuitas, si ii simul sunt Rectores locales, a Leone XII in Brevi : *Plura inter*, 11 Julii 1826, § 2, concessum : « ut tyronum magistri nequaquam ei decreto sint obnoxii, quod vetat ne praesules sacras excipiant alumnorum confessiones. » (2)

« Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac caritate praediti. »

« Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. » (3)

---

(1) Clem. VIII *Sanctissimus, 26 maji 1593*, vel *Bull. Rom.* inter Bullas Urb. VIII, *n. 28*.

(2) Cfr. *Bull. Leon XII* et Mühlbauer. *Thesaur. Resol. S. C. C., vol. 5, p. 904.*

(3) Clem. VIII, *26 maji 1593*.

Sequens dubium, italice scriptum, latine reddo : « Procurator generalis Congregationis religiosae N. provolutus ad pedes S. V. humiliter exponit quod sequitur : Declaravit S. Officium, die 23 Augusti 1899, Decretum (quod prohibebat Superioribus Communitatum religiosarum suscipere confessiones suorum subditorum) non derogare Decretis Clem. VIII quae stabiliunt novitios Ordinum Religiosorum non tantum posse, sed debere confiteri apud magistrum qui superior est novitiorum.

Insuper Superiores posse confessionem suscipere propriorum subditorum, quando agitur de peccatis reservatis, vel quando ad hoc libere ab ipsis rogantur.

Jam vero cum dictum sit in declaratione praefata Decreta Clementis VIII non esse mutata quoad *Ordines Religiosos,* quaeritur utrum haec declaratio valeat quoque pro Congregationibus religiosis cum votis simplicibus quae habent vota perpetua, vita communi vivunt et approbatae fuerunt ab Ecclesia. »

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, EE. Cardinales respondendum decreverunt : *Negative.* (1)

(1) *Acta S. Sedis. Vol. 32, p. 504.* 6

Analecta Ecclesiastica (1), *Il Monitore ecclesiastico* (2) et *Le Canoniste contemporain* (3) dicunt Decretum 5 Julii 1899 esse de praecepto Romae et de consilio pro aliis regionibus orbis christiani.

5° *Ut reparentur confessiones sacrilegae concio habeatur de hac materia.*

« Instet parochus, scribit S. Alphonsus, ad demonstrandum sacrilegii enormitatem eorum qui confitentur et communicant, omisso aliquo peccato in confessione ob ruborem; et ut horror concipiatur, curet saepe saepius narrare aliquod terribile exemplum eorum qui sacrilege confessi sunt ob ruborem, et postea infelici exitu perierunt. » (4)

Et in *Praxis Confessarii* monitum iterat S. Doctor :

« Insistat parochus in ostendendo sacrilegii enormitatem, quod committunt illi, qui confitentur et communicant, aliquod peccatum propter erubescentiam reticentes. Et ut horrorem concipiant adversus tantum scelus, curet

(1) Tome VII, *p. 339, note 3.*
(2) Tome XI, *p. 202, note 1.*
(3) Tome XXII, *p. 590.*
(4) *Homo Ap. tr. 7, n. 37, sub. 4°.*

saepe narrare aliquod formidabile exemplum ex illis, qui, erubescentes de aliquo peccato, sacrilege confessi sunt. » (1)

Videas exempla apud eumdem S. Doctorem in vol. *La Prèdication, p. 608.*

Legas quoque egregium opusculum : *Le ciel ouvert par la confession sincère, par l'abbé Favre, Missionnaire.*

Habeat parochus concionem in qua probet perniciem eorum qui celant delicta, v. g., 1° quia pacem amiserunt; 2° se conjiciunt in periculum infelicis mortis obeundae; 3° si mala morte afficiuntur, coram universo mundo in die judicii erubescent. In 2ª parte refellantur praetextus quos diabolus menti poenitentium injicit ne sua confiteantur peccata; suggerit enim diabolus : 1° confessarius nunquam talia crimina audivit; 2° admiratione stupefactus erit scelera tua audiendo; 3° tibi absolutionem ob ingentia peccata denegabit.

Item concionem habeat de confessione generali, hujusque necessitatem monstrando, speciatim pro miseris qui sacrilege usque adhuc confessi sunt. Tum autem addere non omittat

(1) *Praxis, c. 10, n. 207.*

sese auxilium suum, ut rite confiteantur, praestiturum esse; omniaque perfacilia fore, etc.

Demum, ut efficacissimum remedium ipsa danda Missio praebeatur.

Ubi flagella Dei, terraemotus, bella, fames et pestes non converterunt populos, missiones hunc finem obtinuerunt. Inde doctus P. Contenson, Ordinis Praedicatorum, dixit : « Per solas missiones impletur praedestinatio, quae est transmissio creaturae rationalis in vitam aeternam. » (1)

Et ratio haec est : Consuetudo peccati, v. g., confessionis et communionis sacrilegarum cor obdurat, animum caecat, vires animae debilitat, ita ut gratia extraordinaria indigeat talis consuetudinarius, ut sese ad Dominum convertat. Jam vero haec gratia, teste experientia, in missionibus et recessibus praecipue datur.

R. P. Van de Kerckhove, S. J., (1790-1871), Apostolus Flandriae, in *Manuale Missionum* asserit : « Quisquis missiones tradidit, vel in eis confessiones excepit, tristi experientia novit multas confessiones a populo sacrilege institui. Causa quidem repeti potest vel inde

(1) *Theol. l. 3, d. 6, c. 2, sp. 2.*

quod forsitan quidam confessarii muneri suo desint, defectu zeli, vel *terrorem potestatis exibeant* (S. Greg.); vel certe 2° quod daemon naturali hominis erubescentia in confessionali, omni molimine, ad ejus perditionem, abutatur. Jam vero sine missionibus hoc malum plene non reparabitur. » (1)

Eximius missionarius S. Alphonsus sic nos instruit : « Si missiones non aliud emolumentum afferrent quam remedium comparatum tot confessionibus sacrilegis, quas faciunt homines tacendo peccata in confessione, quod praecipue mulieribus evenit, hoc solum sufficeret ad magnopere missiones animabus procurandas...; quod magnum confessionum sacrilegarum malum frequentius est parvis in locis, quia sacerdotes loci nimis parochianos cognoscunt. » (2)

« Fortiter et pluries inculcanda est necessitas superandi verecundiam confitendi peccata sua. Fructus principalis missionum in reparandis confessionibus sacrilegis consistit, et proinde ruri non solum utiles, sed necessariae sunt.

(1) Van de Kerckhove, *Manuale Missionum. Pars I^a — parag. sec. Necessitas missionum.*

(2) *La Prédication, p. 73.*

Dico quod hoc punctum tam magni ponderis est, ut unica concio non satis sit, quia 1° forsan illi qui maxime indigent hac instructione, non interfuerunt concioni; 2° quia illis qui per multos annos reticuerunt peccata, non sufficit semel de hac materia praedicatorem audivisse.

Oportet ut concionator frequenter de hac materia loquatur, quam ut maximi momenti habeo in missionibus tradendam; nam etiam in missionibus non pauci, quanquam interfuerunt concionibus, peccata tacere perrexerunt.

In omnibus missionibus nostris mos est quotidie exemplum terribile enarrare eorum qui damnati sunt ob peccatorum in confessione reticentiam. » (1)

« Non omittitur in missione, priusquam maximas veritates, mortis scilicet, etc., tractant, concio de confessione, ubi demonstratur gravitas sacrilegii et ruina quam confessio sacrilega causat. » (2)

Mane in nostris missionibus duas habemus

(1) *La Prédication. Appendice. p. 330.*
(2) *La Prédication, p. 236.*

instructiones de praesenti materia, ut cuncti paroeciae habitantes, nullis exceptis, illam maximi momenti veritatem audiant.

Concio de illatis Numini injuriis redimendis (Amende honorable) ab initio missionum nostrarum in hisce regionibus instituta est, ea praesertim intentione, ut confessionibus nec non communionibus sacrilegis mederi valeant missionarii.

« Cum maxima utilitas missionum, aiente S. Alphonso, in reparandis confessionibus sacrilegis consistat, instandum est huic rei in quavis instructione. Demonstretur malitia sacrilegii, et quam magnus sit numerus animarum quae ob peccatorum in confessione reticentiam damnatur. Multi huic verecundiae obnoxii, etiam si confiteantur missionariis, sicuti experientia nos docuit, peccata tacere pergunt. Jam vero, si missionario ignoto non sincere confessi sunt, quomodo integram confessionem instituent redeundo ad confessarium ordinarium?

In missionibus nostris mos est quod concionator semper narrat exemplum terribile — et multa sunt hujusmodi exempla — alicujus animae damnatae propter reticentiam peccatorum. Hoc non fit forsan secundum regulas artis

concionatoriae, cum exemplum non semper relationem habeat ad concionem, sed hoc praecipuum missionis finem attingit, quae ideo specialiter traditur, ut confessionibus sacrilegis mederi possint confessarii. » (1)

« Rogandi sunt sacerdotes loci ut abstineant ab auditione confessionum tempore missionis. Mittendi sunt poenitentes ad missionarios; nam saepe evenit, quod illi qui minus in suspicionem sacrilegii incidunt, magis confessario extraordinario indigeant. » (2)

« Cum in regione, sic legimus etiam apud S. Alphonsum, notabiles audiuntur perturbationes, quibus parochus consulere nequit, tenetur ille conari ut missio advocetur, nisi aliud reperiatur expediens, quo illis prospiciatur. Et semper expediens erit interdiu confessarios exteros arcessere pro animabus erubescentibus : praesertim si in oppidum non solet concionator quadragesimalis advenire. Ille autem parochus, qui missiones respuit, non mediocrem suae probitatis suspicionem ingerit. » (3)

In nostris missionibus semper praedicamus

(1) *La Prédication, pp. 236 et 174.*
(2) *Ibidem, p. 300.*
(3) *Homo Apost. Appendix IV, § 2.*

de B. M. V., et plures inveni qui, postquam in ipsa missione celaverunt peccata, audita postea concione de misericordia Mariae, reversi sunt ad confessarium dicentes sese a B. M. V. ad veram vitae emendationem motos fuisse. Hujus misericordiae sequens exemplum narrat S. Alphonsus.

« In quadam missione, dicit, post concionem de misericordia B. M. V., quam semper, in nostris missionibus habemus, senex adit unum ex nostris patribus ad confitendum, et exclamat: Pater mi, mater Dei mihi gratiam impetravit. — Quamnam, rogavit confessarius. — Pater, abhinc 35 annis, semper confessiones sacrilegas feci, quia scienter tacui peccatum in confessione. Semel et iterum in discrimen vitae veni, ita ut, si tunc mortuus fuissem, certo certius damnatus essem, sed mater Dei animum meum commovit. Et haec omnia narravit senex tot cum lacrymis ut fletum patris moveret. Non mirum quidem si missionarius gaudenter confessionem illius excepit. » (1)

Historia autem insequens, a Patre quodam

(1) S. Alph. *Les Gloires de Marie. 2 vol. Addition aux exemples. 12 ex.*

C. SS. R. relata, immensam, ut ita dicam, misericordiam B. M. V. celebrat.

« Ab initio missionis (1898) quam in aliquo sat amplo viculo status dicti *Equateur*, tradidimus, maximus pietatis ortus est fervor. Qua de causa viri impii hujus viculi mox furore accendebantur. Minis, falsisque criminibus nos circumvenerunt, ne missio optatum finem assequeretur.

Quibus cognitis, conferentiam solis viris tradendam annuntiavimus; cui vere turba virorum interfuit.

Post aliqua cantica in honorem B. M. V. de Perpetuo Succursu cantata, eis officia quibus ut christiani tenentur, brevibus verbis exposui. Tum vero unus ex eis vehementer animo commoveri mihi videbatur. Etenim oculos modo in statuam B. M. V. modo in me conjiciebat. Cujus primo visu, illum a Massonicis cum speciali missione missum putabam. Concionem absolvens, omnes quidem hortabar ad magnam fiduciam in B. M. V. de Perpetuo Succursu, quae etiam maximos peccatores benigne recipit et ad Deum reducit. Et ecce, me e cathedra descendentem, in sacristiam sequitur mirus ille auditor. Subito ad pedes meos se projiciens,

horrendum quoddam peccatum mihi aperit, addendo : « Jam exiit quod per tot annos mentem meam vexavit. » Et prae lacrymis ultra loqui non potuit.

Denique tandem pergit dicens : « Pater mi, ante confessionem, breve vitae meae curriculum audire velis. Ab Europa oriundus, sexdecim annos natus eram quum commisi peccatum quod modo tibi revelavi. Ab illo infelici momento, mihimetipsi maximo odio fui, et acerrime cruciata fuit anima mea. Confiteri voluissem, sed tantum facinus fateri non audebam. Post duos annos verò consilium cepi iter in Sinam instituere. Habentur ibi, mihi dicebam, missionarii qui omnibus pro Deo suo et salute animarum valedixerunt; unum ex illis ad confitendum adibo. Sed in Sina quotiescumque occasio occurrit, coram sacerdote mutus sistebam.

Animo fractus, in patriam reversus sum, acerbissimum angorem conscientiae ubique mecum ferens.

Interea Angli de expeditione in Ægyptum cogitabant. Nuntios meam in patriam miserunt qui milites conscriberent. Nomen meum dedi, sub specie quidem ardoris militaris, sed reapse

spe ductus ibi sacerdotem inveniendi cui conscientiam meam aperire valerem.

In Ægypto quidem fortiter proeliando dimicavi; sed iterum peccatum meum non sum confessus. Itaque bello peracto, in patriam, cum acerba conscientiae poena, redii.

Post haec ad summam desperationem adductus, credebam me non amplius salvari posse. Quadam die tamen, statui in Americam meridionalem conscendere.

Abhinc sex annis huc adveni. Mediis in scandalis quae hic grassantur, animi fortitudo quae mihi opus erat ad integram confessionem instituendam, in dies debilitabatur.

Jam vero abhinc uno mense socios meos audivi loquentes de missione quae mox in paroecia erat tradenda. Mihi roganti, quinam sacerdotes missionem essent praedicaturi, responderunt : « Sunt quidem religiosi probatae integritatis, qui regiones maritimas perlustrant, et ut peccatores facilius ad Deum reducant, imaginem aliquam miraculosam B. M. V. secum ferunt. »

Quo audito, in spem erectus sum. Si verax est nuntius, mihi dixi, certe pro me mittit Deus illos missionarios.

Heri ad vesperam, ecclesiam ingressus sum. Statim ut oculos in imaginem B. M. V. de Perpetuo Succursu conjeci, vehementer commotus fui, et orare incepi.

Modo, dum loquebaris, maxime perturbatus eram; quapropter te e cathedra descendentem secutus sum, et peccatum meum tibi, nescio quo modo, revelavi.

Quantum cruciatum mihi attulit istud peccatum! Gratias ago B. M. V. de Perpetuo Succursu, quae me ex illo inferno eripuit. Velis ubique narrare, mi pater, magnam misericordiam qua tenera illa Mater erga me usus est. »

« Absque ulla difficultate absolvit confessionem, cetera peccata manifestando.

Tandem gratiis B. M. V. toto ex corde actis, profectus est, repletus summo et intimo gaudio. » (1)

Constat nunc vobis, venerabiles confratres, de existentia confessionum sacrilegarum: causas hujus mali intellexistis; adhibere velitis media quae in hoc opusculo exposui.

Cibus vester sit salus animarum. Quem ut finem assequeretur, ipse Dei Filius de coelo in

(1) *La Sainte Famille. Revue ascétique. 1899.P. 156.*

terram descendit. Quare et nos, ad eumdem scopum attingendum, molestias, dolores, labores et incommoda quaeque pro nihilo ducamus, si modo unam liberemus animam atque a peccato retrahamus.

« *Fratres mei,* dicit S. Jacobus, c. 5, *si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* »

Sicut Dominus noster mundum salvavit laborando et praesertim patiendo, ita sacerdos, ut alter Christus, animas in confessionali salvat pro ratione laboris atque operae quam in hoc munere insumit.

Quapropter amemus sacratissimum Cor Jesu; nam ipse Dominus promisit illis, qui Cor ejus sacrum colunt, gratiam commovendi peccatores obduratos; simus ergo fervidi cultores S. Cordis Jesu, ut in confessionali peccatores permoveamus, atque innumeras animas ad amorem Dei rapiamus. Ita fiat, ut in aeternum Cor Jesu in coelo collaudare valeamus. Amen.

LAUDETUR UBIQUE SACRATISSIMUM COR JESU.

Oratio a sacerdote dicenda, antequam confessiones excipiat.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit, nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa, pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam, inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, meipsum non perdam. Amen. (1)

Indulg. 100 dierum Pius PP. IX, 27 Mart., 1854.

(1) Planchard. *Recueil de prières*, etc., p. 510.

INDEX SYNOPTICUS

Pag.

Monitum ad Lectorem 9
Introductio 11

Caput I. — *Existentia sacrilegarum confessionum* . . . 15

Caput II. — *Causae mali* 35

Ex parte poenitentis

1° Negligentia orationis 35
2° Verecundia 36

Ex parte confessarii

1° Defectus zeli 39
2° Duritia 39
3 Festinatio 40
4° Zelotypia 41
5° Imprudentia 42
6° Rigor 43
7 Dissidentia 46
8° Praxis dandi eleemosynam 46

Caput III. — *Quomodo malo occurendum sit* 47

Ex parte poenitentis

1° Potissimum remedium oratio poenitentis . . . 47
2° Meditatio 48

Ex parte confessarii

1° Propria sanctificatio 48
2° Zelus animarum 49
3° Interrogatio 52
4° Libertas in confessario eligendo 73
5° Praedicatio de confessionibus sacrilegis . . . 90
6° Missio 92

3252

250.4
B61

Brahms,
AUTHOR
Opusculum
Ille Reticentia Peccatorum
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED